



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

35. Quid faciendum, quando duo sunt tantum executores, & dissentium?
Et quid est dicendum, si vnus est Episcopus, alter index sæcularis, vnus
consanguineus, alter extraneus, vnus masculus, alter ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Quæ hic est in superiori resolutione diximus, fallit tamen hoc in Religiosis, si compellantur à suo Superiore quia tenentur illi parere strictiori vinculo obedientiæ, quam aliis Episcopis, vel aliis superioribus. Ita Vasquez *opus. de test. c. 9. §. 3. dub. 2. n. 39.*

§. pro Religiosis in Ref. seq.

RESOL. XXXIII.

An Episcopus possit cogere, ut aliquis accipiat munus Executiois: & quid de Religiosis? Ex part. 8. tract. 5. Refol. 60.

Sup. hoc quo ad laicos supra in Ref. 30. & 11. & pro Religiosis cum eodem Vasquio hoc citato in fine præcedentis Ref.

§. 1. **Q**uoad Episcopum in ordine ad laicos, respondeo negativè; quoad Prælatum in ordine ad Religiosos; respondeo affirmatiuè. Et ita Vasq. *Opus. de test. c. 9. §. 5. dub. 2. n. 79.* sic ait. Non potest ab Episcopo aliquis cogi, ut sit executor voluntatis defuncti, bene tamen Religiosus à suo superiore, quia tenetur illi parere in omnibus strictiori vinculo obedientiæ; quis quàm suo Episcopo. Hæc ille.

RESOL. XXXIV.

Quomodo Executores, si sint plures procedere debeant? Et an, quando plures Executores, vel commissarij constituti sunt, præualeat, quod maior pars fecerit etiam separarim?

An hoc procedat, quando capitulo, suo Vniuersitati commissio testamentaria iniungitur? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 29.

§. 1. **A**D hoc dubium breuiter sic responder Molina *de iust. r. 1. tr. 2. disp. 248.* Quando multi constituti sunt executores alicuius testamenti, quidam eorum mortui sunt, aut in remotis agant, aut concurrere non velint ad testamenti executionem, ceteri, etiam si vnus tantum sit, procedere possunt ad executionem testamenti, nisi testator contrarium expresserit. Ita habetur *c. Religiosus, §. vlt. de Test. l. 6.* vbi gloss. quam Sylu. *verb. test. 2. q. 5. promunc. 1.* & alij sequuntur, ait, si quis eorum sit in loco propinquo, & admonitus intra terminum præscriptum non aduenerit, reliquos procedere posse ad executionem. Ita Molina, cui adde Sanchez *in opus. r. 2. l. 4. c. 1. dub. 44.* quos sequitur Cardinalis de Lugo *de iust. r. 2. disp. 24. sect. 16. n. 3. 1.*

2. Sed melius, & latius pertractat hanc quæstionem Carpius *de exec. test. lib. 3. c. 2. per totum;* nam primò aliquando plures executores in testamento nominantur; aliquando ita plures constituuntur quòd cuilibet eorum eadem potestas in solidum mandatur; hoc supposito.

3. Dico primò, quòd quando plures commissarij nominantur, omnes (& non vnus sine alio) voluntatem defuncti exequi tenentur, *c. Religiosus 2. §. sanè, de test. l. 6.* vbi gloss. *verb. simpliciter, Speculator tit. de instr. edit. & nunc vero aliquas num. 12. post med. vers. & nota quòd ideo,* Ioannes Andr. *in nouella, dict. §. sanè coll. 3. vers. si sunt plures,* vbi Anchar. *n. 3. tertio nota.* Dominicus, *n. 1. ibi, causà legitima sustinente,* Philippus Franciscus *n. 10.* vbi ex Archidiacono docet, quòd executores sint plures, debent omnes simul agere in iudicio, vel procuratorem constituere, qui nomine omnium compareat.

4. Declaratur dicta conclusio, nisi vnus executorum seu commissariorum mortuus fuerit, vel absens in remotis, aut exequi noluerit; quia alius adimplere potest, vt ex dicto §. sanè, expressè dicitur.

5. Nota quòd dictum est in remotis; quia si commissarius de proximo venire potest, ceteri tenentur eum expectare, dicto §. sanè, ibi, *vel in remotis agente,*

vbi glossa *verb. in remotis,* ait, quòd si non multum distat, vocabitur, & si in termino assignato non venerit, procedet forcius sine illo. Et hæc vera sunt, nisi consensus maioris partis accedat, tunc necessariò non est vocandus.

6. Rursus prædicta declaratio (si vnus mortuus fuerit) extenditur in impedito morbo continuo, nam alij, seu alius commissarij voluntatem postremam perficere poterunt.

7. Extenditur præterea dicta declaratio, & dispositio dicti §. sanè, in eo euentu, in quo plures, tres, vel quatuor executores, vel commissarij nominati sunt, quia aliquibus mortuis, impeditis, vel absentibus, vnus, vel reliqui voluntatem postremam exequi poterunt, etiam si dictus §. sanè, videatur loqui tantum in duobus executoribus, ibi, *vnus, & ibi, alius;* nam §. incipit per verbum, *duobus,* & eadem ratio militat in tribus, vel quatuor executoribus, seu commissariis (aliquo eorum mortuo, seu impedito, quod in duobus).

8. Et tandem prædicta conclusio explanatur, vt non habeat locum, quando certa res, certo loco, seu personis relicta fuerit: siquidem concensus omnium executorum necessarius non est, quo ad eius executionem, cum actus vnus voluntate perficiatur.

9. Dico secundo, quòd vbi plures executores, seu commissarij constituti sunt, præualeat quod maior pars fecerit, vt communiter scribentes sentiunt in dicto §. sanè, dicta l. 38. *Tauri,* ibi, *cum plese y execute se lo que mandare y declarar la maior parte de ellos,* cum fetè in omnibus negotiis à pluribus expediendis statatur maiori parti, l. quod maior ff. ad municipalem, cap. 1. de his que sunt à maiori parte.

10. Extenditur hæc conclusio, etiam si executores, seu commissarij vocati non sint, nec in vnum conueniantur; quia præualeat quod maior pars separarim fecerit. Cuius ratio est, quia quando actus explicandus est per singulos, vt singulos, nec aliorum præiudicium versatur; quia aliquis eorum non patitur damnari effectuale, cum ceteri commissarij, vel maior pars eorum votum suum explicare valeat, intra terminos iuris, vel à testatore assignatos: inde est vt sufficit, quod maior pars separarim fecerit: at non procederet, quando Capitulo, seu vniuersitati commissio testamentarij iniungitur: siquidem tunc collegialiter Capitulum conueniri debet, nec separarim persona Collegij votum suum explicare poterunt ex commissione enim facta à testatore Capitulo, ita consequenter videtur iniunctum. Et hæc omnia ex multis aliis Doctoribus, & rationibus firmat Carpius *loc. cit.*

RESOL. XXXV.

Quid faciendum, quando duosunt tantum Executores, & dissentiant?

Et quid est dicendum, si vnus est Episcopus, alter iudex secularis. Vnus Clericus, alter secularis: Vnus sanguineus, alter extraneus; Vnus masculus, alter femina? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 30.

§. 1. **P**RO responsione huius dubij Carpius *de exec. testam. lib. 3. cap. 2. num. 30.* sequentes casus separat.

2. Primus si vnus sit Clericus, & alter laicus, vt tunc vox Clerici præferatur, vt tenet Andreas Siculus *in cap. sua nos, columna 7. de testam.* pro vt eum refert, & sequitur Palatius Rubius *in reper. cap. per vestras, & donat. §. 43. n. 8.* Gomez Arias *in d. l. 38. Tauri, n. 5. in fine.* Spino *in test. gl. 28. n. 19. vers. quod intelligit.* Quod sanè accipiendum est, vt (ceteris paribus) Episcopus, seu iudex secularis voto Clerici potius accedat, vt est de mente Baldi statim citandi.

3. Secundus

3. *Secundus casus* est, si masculus, & femina concurrant; quia tunc votum masculi præferatur, ex lib. 1. ff. de *Senariis*, in illis verbis: *Consulari femina, utique consularium virum preferendum esse nemo ambigit*, Palacius Rubius dicit. n. 8. ad finem. Salazar de *usu & consuetudine* c. 12. n. 26. Gomez Arias dicit. n. 5. Spino dicit. n. 19. *versus* si femina. Quem casum intelligendum esse existimo, etiam; ceteris paribus, ad hoc ut iudex hoc respectu voto masculi auhareat.

4. *Tertius casus* consideratur, ut discordantibus testamentariis, votum consanguinei anteponatur, Bald. in l. *Imperator* 6. ff. de *patris*, 2. col. *versus*. & *secundum hoc*, ubi ait, quod (ceteris paribus) Episcopus debet adherere voluntati consanguineorum, & coniunctionem; quibus à testatore distributio inter partes fuit relicta: quem sequuntur Palacius Rubius, Gomez, Arias, & Spino citati, Rolandus in *consil.* 16. num. 42. vol. 3. *Lata de Anniversariis, & Capellanis* lib. 2. cap. 3. n. 27.

5. *Quartus casus* est, ut in omnem euentum, votum commissarij præferatur, quod magis accedit voluntati defuncti: seu eius breuiori expeditioni: non atenta qualitate clericatus, sexus, seu consanguinitatis: ad hoc ut iudex, seu Episcopus illud eligere valeat. Si enim ratio prelationis in Clerico, viro, & consanguineo, ex illorum qualitate consideratur pro expedienda postrema voluntate: inde consequens est, ut si hæc deficiat, & maior affectus in consocio commissario inueniatur, quod ei subscribere debeat Episcopus, seu iudex alius. Hucvique Carpius.

6. Non desinam tamen hæc adnotare illa etiam: quæ circa præsentem dubitationem asserit Sanchez in *opus.* tom. 2. l. 2. c. 1. *dub.* 45. n. 3. Quando, ait, executores discordes sunt æquales pro vtraque parte, ut duo pro vna, & duo pro alia, tunc dicit Spino, eo n. 19. posse præferre Episcopum, quem voluerit. Sed dicendum est, quod si sit in rebus piis, potest Episcopus præferre; quem voluerit; si vero in rebus profanis, id potest iudex secularis. Sic Baldus & Speculator, quos refert, ac sequitur Gregorius Lopez l. 6. tit. 10. p. 6. *versus* todos Francus cap. 2. §. *sanctus*, de *test.* in *6. n. 5.*

7. *Nota* hoc intelligendum esse data paritate personarum; secus si sint disparæ, ut quia vnus est masculus, alter femina; tunc enim præferatur masculus; vel si vnus sit extraneus, alter vero consanguineus testatoris, præferatur consanguineus: vel si vnus sit laicus, alter vero clericus, præferatur clericus. Ita Sanchez & post illum Cardinalis de Lugo de *Iust.* l. 2. *disp.* 24. *sect.* 16. n. 35.

RESOL. XXXVI.

Ad quid teneantur Executores? Et p. 8. tr. 5. Res. 31.

§. 1. **R**espondeo breuiter teneri secundum mentem testatoris omnia exequi, & proinde debent esse instructi medijs ad suum officium necessarijs. Si meri sunt executores contra resistentes, siue heredes, siue alios, possunt implorare officium iudicis; si commissarij, vel executores cum plena facultate, & arbitrio intentabunt etiam actionem in iudicio: tenentur quoque facere initio inuentarium, quod tamen ad inuentarium attinet, cum hæredi sapè sit valde durum, statum suorum bonorum aperire, cum subinde non expedit sciri, aut tam diuitem, aut tam pauperem esse, quam est re ipsa, sufficere si ille caueat executoribus de præstandis legatis iuxta voluntatem testatoris, & finito officio rationem reddere suæ distributionis paratus sit. Sed quando sunt executores vniuersales, & quasi loco hæredis ad distribuenda omnia iuxta mentem defuncti; tunc debent facere inuentarium, non tamen necessariò coram iudice, sed coram Tabellio-

ne, & testibus. Imò testator potest ipsis remittere confectionem inuentarij, lib. *ultim.* C. de *arbitr. iur.* ibi enim curatores ipsos liberari posse decernitur ab inuentario conficiendo; quanto ergo magis potuit executores; ut bene Bart. lib. 2. C. de *alim. pupillo* præst. qui dicit posse tunc remittere, solent in multis locis caueri; in multis tamen, si sint potentes, aut habeant stabilia bona, cautio non exigitur. Et hæc omnia docet P. Nvadingus *tract.* de *contract.* *disp.* 4. *dub.* 13. §. 4. num. 7.

RESOL. XXXVII.

An Executores habeant facultatem vendendi bona testatoris ad exequenda opera in testamento præscripta? Et praxi dictæ questionis apponuntur quatuordecim conclusiones.

Et tandem docetur, quod hæres potest Executorem impedire, ne vendat, vel offerendo pecuniam necessariam, vel exhibendo se paratum ad soluendum, &c. Ex p. 8. tract. 5. Res. 32.

§. 1. **H**anc questionem breuiter tangit Dicastillus de *Iust.* l. 1. n. 19. *disp.* 3. d. 15. n. 186. Molina de *Iust.* l. 2. *disp.* 248. paulò latius Sanchez in *opus.* l. 2. lib. 4. c. 1. *dub.* 46. *per totum*. Sed omnium latissimè Carpius de *exec.* *lib.* 3. c. 3. *per totum*.

1. Et ideo supponit quòd executor, & commissarius vel est vniuersalis, vel particularis. Vniuersalis dicitur, cum nullo dato hærede in testamento pauperes, seu anima instituuntur (commissariis constitutis) vel eis testatio, seu distributio vniuersalis iniungitur. Particularis vero cum (constituito hærede) executio alicuius rei ei relinquatur: primum probat *Nulli, lib. si quis ad declinandam hæredem, C. de Episcop. & Clericis*; secundum docet *lib. alio hærede, ff. de alim. & cib. legatis*.

2. Et his suppositis apponit plures conclusiones. *Prima*, Quòd commissarius vniuersalis res hereditarias vendere potest ad perficiendam testatoris voluntatem. *Secunda conclusio*, Particularis executor, vendere non valet, nisi facultas ei à testatore sit concessa. *Tertia conclusio*, Commissarius cui à testatore concessa est plena, & libera facultas vendendi, poterit apprehendere rem, seu res hereditarias ad exequendam testatoris voluntatem (etiam reluctante hærede) & possessionem, dominiumque in emptorem transferre, non solum de iure regio, sed etiam de iure communi post hereditatem aditam. *Quarta conclusio*, Executor seu commissarius particularis, vel vniuersalis cum facultate vendendi non potest res hereditarias directè, nec indirectè emere. *Quinta conclusio*, Licet Executor, vel commissarius emere non valeat, potest tamen iure sanguinis retrahere rem sui patrimonij. *Sexta conclusio*, Commissarius particularis, vel generalis cum libera facultate vendendi, & quòd possit facere ea omnia, quæ testator facere poterat, iure ei licet in venditione rerum, pro earum faciliore, & meliori expeditione promissum (vulgo *prometido*) concedere; dummodo absit dolus. *Septima conclusio*, Ex venditione rerum hereditariarum pro exequendis causis pijs à defuncto relictis, executor, seu commissarius non tenetur soluere gabellam, quando illud, quod huius iuris nomine præstaretur, detraheretur à causis pijs, taliter quòd tanto minus perciperet causa pia; secus in eo euentu, quo certa quantitas relinquatur expendenda; vel distribuenda pro pia causa, remanentibus tamen alijs bonis hereditarijs commodo hæredis, ex quibus solui posset. *Octaua conclusio*, Si Executor, seu commissarius aliquas expensas fecerit in exigendis rebus, vel quouis alio modo ad exequendam dispositionem defuncti, poterit alias petere ex bonis hereditarijs.